

final. vol. 5. Annotat. ad decis. 56, num. 18. p. 9. tom. 2. Rotæ recentior, et alii contra Sylvestrum verb. *Emphyteusis* quæst. 5. Molinam disput. 459. et Rosignolum de Emphyteusi prænot. 7. sect. 3. num. 11. volentes non improbabiler, quod Emphyteuta possit privari tota re Emphyteutica, etiamsi alienet solum partem sine consensu Domini. (14. Item Dominus directus potest privare Emphyteutam re Emphyteutica, si sua culpa lata, vel levi talis res fuit notabiliter deteriorata, imo potest eam cogere, ut id, in quo rem læsit, resarciat, textu expresso in authentic. Qui rem Cod. de SS. Ecclesiis, ibi: « Qui rem in Emphyteusim acceptam fecerit deteriore... hac lege expelli potest, ut tamen id in quo rem læsit resarciat. » Sic communiter Doctores. (15. Quoties tamen expellendus est ab Emphyteusi, Emphyteuta non debet a possessione repelli, nisi interventu, et auctoritate Judicis; arg. leg. *Creditoribus*; C. de pignor. ibi: « Creditoribus, qui non reddita sibi pecunia conventionis legem ingressi possessionem exercent, vim quidem facere non videntur. Attamen auctoritate Præsidis possessionem adipisci debent. » Unde etiam Domini directi non nisi eadem auctoritate possessionem alteri auferre, et sibi dare debent, quia nemo sibi ipsi Judex esse debet; leg. 1. Cod. *Ne quis in sua causa judicet*. Tum quia si quis propria auctoritate Emphyteutam a possessione expelleret, passim scandala et rixæ orientur, et ideo l. *Non 166. ff. de Reg. Jur.* fuit provide statutum, ut sequitur: « Non est singulis concedendum, quod per Magistratum publice possit fieri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi. »

(16. Dominus directus, quoties Emphyteusis transit de uno ad alium, potest a novo Emphyteuta propter investituram, quam ei impertitur, laudemium exigere; textu expresso in leg. 3. Cod. de Jure Emphyteutico (1). (17. Laudemium sic dictum, ex quo Dominus directus suo consensu, et auctoritate approbet, ac veluti laudet talem translationem factam, de Jure communi est quinquagesima pars pretii, quo bonum Emphyteuticum æstimatur; cit. leg. 3. Cod. de Jure Emphyteutico, ibi: « Quinquagesimam partem pretii, vel æstimationis loci, qui transfertur, accipere liceat Domino. » (18. De consuetudine tamen alicubi trige-

(1) Dubitari potest an in venditione cum pacto redimendi, secuta redemptione, iterata Laudemiorum præstatio Domino directo debeat. Probabilior videretur non deberi, ut sentit Tiraquell. de retract. convent. § 4, glos. 6, num. 19 et 20. Molerus semest. lib. 4, cap. 5, num. 2 et 3, eo quod contractus remaneat quodammodo suspensus. Nihilominus contrariam tenetur opinionem Voet in Pandect. lib. 6, tit. 3, num. 31, multisque et quidem validis eam exornat rationibus adeo ut ab illa recedere non audeat, quousque validiora non occurrerent argumenta. Quod si post solum Laudemium a tertio contra emptorem excitetur controversia, et per transactionem sublata deinde remaneat, tunc certe iterata non admittitur laudemii solutio, sive quid emptori, sive quid tertio præstitum sit, ut a lite rece-

sima, alicubi vigesima, et alicubi etiam decima pars pro laudemio dari solet, unde servanda est in hoc loci consuetudo; arg. cap. *Cum tanto* 11. de consuetud. (19. Tale autem laudemium non est mensurandum secundum valorem, quem res habebat, quando primo tradita est in Emphyteusim, sed secundum eum, quem res habet pro illo tempore, quo in alium transfertur; cit. l. 3. Cod. de Jure Emphyteutico, ubi præscribitur ut mensuretur dicta quinquagesima pars juxta mensuram pretii, quo æstimatur res Emphyteutica, adeoque si crescit mensura pretii, crescit etiam quinquagesima, vel trigesima, vel vigesima pars ejusdem.

(20. In variis casibus transit Emphyteusis de uno ad alium, et non est solvendum laudemium: Primo quando, defuncto Emphyteuta, Emphyteusis jure hæreditariæ successionis transit ad hæredem necessarium, ut de Patre in filium; Authent. *de hæreditibus*; Et communis Doctorum. Et ratio est, quia laudemium datur pro investitura, et immissione novi Emphyteutæ in possessionem; citat. leg. 3. Cod. de Jure Emphyteutico, quando autem Emphyteusis transit ad hæredem necessarium, non est opus nova investitura et immissione in possessionem, cum hæres auctoritate propria possit adire hæreditatem, adeoque, etc. (21. Secundo quando plures habentes rem Emphyteuticam in communi, eam inter se dividunt proportionaliter in singulis; talis enim divisio videtur necessaria leg. 22. Cod. *Mandati*. Et sic tenet communis Doctorum. (22. Tertio quando ante hæreditatem, venditio Emphyteusis iterum rescinditur; Sic communis cum Barbosa in c. *Potuit Emphyteuta* 4. de locat. et conduct. num. 38. Et ratio est, quia Laudemium, seu Honorarium datur propter novam investituram, et immissionem in possessionem, quæ nova investitura non datur, ut de se patet, cum ante traditionem rescinditur venditio. Emphyteuta enim remanet adhuc in pacifica possessione Emphyteusis ratione primæ investituræ (2). (23. Quarto quando res Emphyteutica transfertur ex necessitate dotandi filiam, cum aliunde non habeatur quo dotari possit; sic doctores communiter cum Barbosa loc. citat. et Bartolo in leg. *Et ideo* ff. de cond. furt. et ratio est quia laudemium dumtaxat debetur ex alienatione voluntaria, et non necessaria, qualis est illa dotandi

deretur. Hoc quippe casu quamvis transactio sit species alienationis l. 4. Cod. de præd. et aliis reb. minor. nil aliud profecto actum dici potest, quam confirmatus præcedens contractus, ideoque nulla occurrit ratio, cur iteretur laudemium. Tiraquell. de retract. Gentil. gloss. 14, num. 63. Voet loc. cit. num. 33. (Edit. Barbiell.)

(2) Si tamen divisione vel adjudicatione facta unus cohæredum deinceps suam partem, aut rem adjudicatam in alios iterum transferat cohæredes, procul dubio Laudemiorum nascitur obligatio, cum ita simplex tantum alienatio extra omni divisionis considerationem contingat, nec referat an in cohæredem an in extraneum Emphyteuta transeat jus, ut recte observat Argentræus tract. de Laudemii c. 55 (Edit. Barbiell.)

filiam, quam Pater necessario dotare debet, textu expresso in leg. ultima Cod. de Dotis promissione.

ADDITIONES EX ALIA MANU.

(24. De eo gravis est quæstio an assumpta ab Emphyteuta obligatione aliquid in re Emphyteutica faciendi intra præfinitum tempus sub pœna devolutionis, eoque non facto, locum sibi vindicet devolutio, Emphyteuta non interpellato?

(25. Affirmandum videretur ex notissima illa Regula quod in obligationibus in quibus appositus est dies, ipse interpellare dicatur pro Homine.

(26. Sed contrarium resolvit Rot. in Romana Devolutionis 8 Junii 1744. coram bon. memor. Lana Regulæ vero illi ita § 5. respondet: « Regula vero hæc quod sine ulla admonitione sit locus pœnæ conventionali procedere visum fuit tantummodo ad effectum inducendi obligationem, nempe ut quis, ubi pervenerit dies præfixus solutionis, teneatur ad interesse sive ad fructus conventos, non quidem per viam pœnæ sed solum ratione moræ, prout in casu non solutionis Canonum, ac etiam in casu, Alienationum ante-

CONTRACTUS EMPTIONIS ET VENDITIONIS.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Emptio, et Venditio quoad suum esse, et a quibus, ac de quibus fieri possit et debeat, vel non?*

1. Emptio, et Venditio quid. — 2. Explicantur particule definitionis Emptionis, et Venditionis, ad n. 4. — 3. Nomine mercis venit qualibet res pretio æstimabilis, sive jus, sive officium, sive hujusmodi. — 4. Nomine pretii venit solus nummus, seu numerata pecunia. Et quid sit pretium. — 5. Nummus unde dictus. — 6. Pecunia unde dicta. — 7. Nummi appellatio strictior est quam pecunia. — 8. Ubi nummus, seu pecunia non intervenit, sed res una pro altera, merx pro merce datur, permutatio, vel alius contractus, non autem emptio, et venditio est. — 9. Pretium unde dictum. — 10. Pretium est duplex; Legitimum, seu Legale, et Naturale, seu Vulgare, et quale sit utrumque. — 11. Pretium naturale, seu vulgare dividitur in infimum, seu pium; in medium, seu moderatum; et in suum, seu rigorosum. Et quale sit quodlibet. — 12. Quodlibet trium horum pretiorum justum est ac licitum. — 13. In foro conscientie omnis venditio notabiliter excedens pretium summum, seu rigorosum, et omnis emptio non attingens pretium infimum, seu pium, est injusta, et illicita, et per restitutionem ad æqualitatem reducenda. — 14. Adducitur, et solvitur instantia. — 15. In foro externo utroque Jure tam civili, quam Canonico permittitur, et toleratur rem quovis pretio emere, et vendere, et dummodo ex parte alterius non fiat læsio, seu deceptio ultra dimidium, ad n. 18. — 16. Dimidium justii pretii quomodo computandum sit in Emptore decepto. — 17. Pretium legitimum, seu Legale juste taxatum obligat omnes in utroque foro, et ipsum malitiose transgredientes tam in emendo quam in vendendo peccant contra justitiam, et tenentur ad restitutionem. — 18. Pretium juste taxatum observare tenentur etiam peregrini, nisi specialiter eximantur. — 19. Si manifeste constet pretium indebite, irrationabiliter, et injuste taxatum esse, nemo in foro conscientie illud observare tenetur. — 20. Hinc si magistratus, vel ab eo deputati ex odio, vel passione, aut muneribus corrupti, vel errore seu ignorantia seducti, pretium rerum injuste determinent, tunc potest taxa tuta con-

quam locum habeat caducitas, etc., necnon in omnibus aliis Contractibus, in quibus purgatio moræ non admittitur, etc.) nunquam vero locum sibi indicat in pœnalibus ad durum effectum Caducitatis, in quo casu dies non interpellat pro Homine, sed ut pœna incuratur necessaria est præcedens interpellatio. »

(27. Regula est quod Dominus directus in venditione rei Emphyteuticæ valeat vel soluto pretio habere prælationem vel petere Laudemium. (28. At Regula hæc duas patitur exceptiones. Prior est si Dominus directus jam petierit laudemium. (29. Hac enim petitione renunciasset censetur competenti sibi prælationi. Altera si agatur de Emphyteusi, in cujus instrumento fuit concessa libera facultas alienandi. Neque obstat si in eodem instrumento fuerit prohibita alienatio irrequisito Domino directo. (30. Dupliciter enim consensus a Domino directo præstari potest, et ante alienationem et post alienationem, atque in hac hypothesis secundus consensus necessarius est, qui prælationem haud tribuit. Ita decidit Rot. in Romana Prælationis 16 Junii 1738. coram bon. mem. Canillac.

scientia transgredi, et reduci ad æqualitatem cum valore mercis. — 21. Immo possunt in tali casu venditores, quando alio modo justum pretium obtinere nequeant, mercibus aliam rem, vel eandem specie, minus tamen bonam immiscere, dummodo in modica solum quantitate sufficiente ad seipsos reddendos indemnes, et ita fiat, ut nullum exinde detrimentum emptoribus sequatur, et merx adhuc sit idonea ad usum et finem, pro quo emitur. — 22. Requiritur tamen semper, quod certo, et manifeste constet pretium esse injuste taxatum; nec sufficit solum dubium, an taxatio pretii sit justa, nec ne. — 23. Emptio, et venditio potest fieri ab omnibus, qui jure non prohibentur. — 24. Emere, et vendere solius lucri, et negotiationis gratia nequeant Clerici. — 25. Item provinciarum, et locorum Gubernatores, Præsides, Rectores, Vicedomini, Præfecti, Judices, et eorum Officiales, ac Ministri in ipsis locis in quibus Jurisdictionem exercent, emere de jure non possunt nisi necessaria ad victum, et vestimentum, et usum quotidianum. Consuetudine tamen est introducta praxis contraria. — 26. Item administratores rerum alienarum de jure, nec per se, nec per alium emere possunt res illas, quas administrant, nisi id eis specialiter concedatur. — 27. Item Tutores, et Curatores prohibentur emere bona pupillorum, et Minorum quæ administrant. — 28. Possunt tamen Tutores, et Curatores talia bona emere, et vendere cum auctoritate Judicis, et interventu Propinquorum eorum pupillorum, et Minorum. — 29. Sic etiam emere possunt a pupillis illi Tutores, qui non habent administrationem eorum bonorum. — 30. Emere, et vendere non possunt pupilli, et minores, nisi accedat auctoritas Judicis, et consensus Tutorum, seu Curatorum. — 31. Omnis res humano commercio subjecta emi et vendi potest, nisi specialiter prohibeatur. — 32. Hinc emi et vendi possunt omnes res sive mobiles, sive immobiles. — 33. Item, emi, et vendi possunt Nomina, id est Jura, seu actiones, credita, debita, Chirographa etiam ignorante, et invito debitore. — 34. Dummodo tamen talia nomina, seu Jura, credita, et hujusmodi sint certa ac liquida, et liti nondum subjecta. — 35. Officia publica temporalia spectando leges positivas humanas vendi, et emi non possunt. — 36. Ubi tamen legitima intro-

ducta est consuetudo, valide, ac licite talia officia publica temporalia vendi possunt, servatis quibusdam conditionibus. — 40. Assignantur conditiones observandae, ut talis venditio licite fiat. — 41. Secundum graves Doctores non solum Principes supremi, sed etiam alii inferiores de licentia Principis expressa, vel tacita possunt valide ac licite talia officia temporalia vendere. Unde in hoc servanda est consuetudo legitima cujusque Regni et Provinciae. — 42. Emptio et Venditio fieri nequit de rebus spiritualibus, aut spiritualibus annexis. — 43. Item emptio et venditio fieri nequit de rebus litigiosis. — 44. Homo liber vendi, et emi non potest, nisi major 25. annis consentiat. — 45. Vel nisi sit filius, qui a Patre in summa paupertate victus causa vendatur. — 46. Item nequit a Domino vendi servus, ut cum bestiis pugnet. — 47. Arma, equi, lignamina, funes, et alia hujusmodi nequeant vendi, et deferri ad Saracenos, et alios Christiani nominis hostes, et id facientes, quicumque sint, incurrunt excommunicationem. — 48. Ordinarie loquendo nemo invitus cogi potest ad vendendam rem propriam, vel emendam alienam. — 49. In casu tamen publicae necessitatis, aut inopiae possunt subditi cogi ad vendendas merceres, quibus ipsi non indigent. — 50. Et in tali casu publicae necessitatis cogi possunt ad talem venditionem etiam Clerici, non quidem a Judice laico, sed a proprio suo Ecclesiastico. — 51. Item possunt subditi cogi ad talem venditionem ob bonum publicum vel favorem Religionis. — 52. Item si duo communem servum habeant, quorum alter velit eum manumittere, cogitur etiam alter partem suam vendere libertatis favore, si adsit qui redimere velit. — 53. Item quando Dominus nimis severe, et inhumane tractat servum suum, tunc cogi potest eum vendere. — 54. Dantur etiam aliqui casus, in quibus potest quis cogi ad emendum, maxime quando id exigit bonum commune Reipublicae, et assignantur. — 55. ad 57. Nam dici queat Contractus Emptionis, si Contrahentes dum praestiterunt consensum reservaverint sibi aliqua pacta postea concordanda. — 58 ad 62. De Regula, quod in Foro non succurritur venditori laeso, nisi laesio sit ultra dimidium justipretii. — 63 ad 67. De altera Regula, quae in Foro invaluit, nimirum: quod Emptio et Venditio cum enormissima laesione facta sit nulla.

ARTICULUS II. — Quoad ea quae concernunt Emptorem.

1. Emens bona fide rem furtivam, seu alienam, tenetur eam restituere Domino statim ac rescit esse suam. — 2. Nec talis emens bona fide rem furtivam, restituendo eam Domino, potest ab ipso repetere expensam pro ea. — 3. Immo non tantum rem ipsam furtivam, sed et omnes ejusdem rei fructus adhuc exstantes, et quos collegit, et consumpsit a tempore cognitae rei furtivae, et eos ex quibus jam antea bona fide perceptis factus est ditior, tenetur emptor in utroque foro restituere Domino. — 4. Emens bona fide rem furtivam, si durante bona fide, eam consumpsit, vel vendidit, vel donavit, non tenetur ad restitutionem. — 5. Si vero emens plus pretii recepisset in venditione, quam in emptione rei furtivae, tenetur id plus, in quo factus est ditior, restituere Domino comparenti. — 6. Emens bona fide rem furtivam probabiliter non potest eam reddere furi, si praevideat non esse reddendam Domino, etiamsi aliter pretium suum recuperare non possit, sed debet eam restituere Domino. — 7. Revera tamen est etiam probabile, quod talis emptor possit rem furtivam reddere furi, ad pretium recuperandum, seque indemnem servandum. — 8. Emens rem pecunia furtiva, licet acquirat ejus rei Dominium, tamen obligatur ad resarciendum omne damnum, ac lucrum cessans illi, a quo pecuniam abstulit, tum etiam venditori casu, quo pecunia ab ipso evincatur. — 9. Venditor autem non acquirit Dominium talis pecuniae furtivae, sed eam debet comparenti Domino re-

stituere, si adhuc in specie extet. Non tenetur vero restituere, si eam jam consumpsit, vel cum propriis nummis ita commiscuit, ut amplius discerni nequeat. — 10. Emens rem alienam, seu furtivam modico pretio, ut eam restituat proprio Domino, qui eandem rem non erat alias reacquisiturus non nisi majoribus expensis, potest ab ipso Domino repetere pretium solutum, et Dominus tenetur in utroque foro ipsum refundere. — 11. Emens communi pretio agrum in quo scit esse thesaurum, vel similia alia pretiosa, licite emit, et nihil tenetur restituere venditori ignoranti. — 12. Sic emens communi pretio rem mobilem, in qua reperitur aurum, vel aliud quidpiam pretiosum penitus ignotum etiam venditori, non tenetur ad ullam restitutionem ipsi venditori. — 13. Emens rem suam et communi aestimatione vilem si post emptionem cognoscat esse pretiosam, non tenetur aliquid restituere venditori. — 14. Secus autem esset si emptor ante emptionem cognovisset pretiositatem rei penitus incognitam a venditore simplici et ignaro; tunc enim teneretur ei restituere id quod minus solvisset de justo pretio. — 15. Nec talis emptor conscius majoris valoris rei, qui a venditore ignoratur, manet tutus in conscientia per hoc quod dicat venditori ignaro se velle rem illam sine scrupulo emere, et ideo videat, an velit eam pro tali pretio dare condonando ei, si quid amplius valeat, et venditor consentiat. — 16. Qui scientia privata scit brevi pretium augendum, potest licite emere pretio currenti. — 17. Item si quis scientia privata sciat pretium mercis, seu valoris monetae esse brevi minuendum, vel mercem aliquam, seu monetam esse prohibendam, potest mercem licite vendere pretio currenti, et monetam expendere secundum valorem praesentem. — 18. Dicitur autem notanter *Scientia privata*, quia non excusantur Magistratus ipsi, qui ex industria legis promulgationem differunt, ut interim suas merces, vel pecunias majori valore seu pretio distrahant. Possunt tamen ipsi non aliter, ac alii bona fide distrahere sua, non obstante tali notitia, quando in eadem quantitate, seclusa illa notitia, distracturi fuissent. — 19. Chirographa et aliena credita, quantumvis certa, si sine molestia, difficultate, damno emergente, vel lucro cessante, exigi nequeant, possunt valide, ac licite emi minori pretio juxta qualitatem difficultatis, periculi, damni, et hujusmodi. — 20. Doctores merito addunt tantam posse esse difficultatem, vel incertitudinem solutionis, ut hujusmodi chirographa, et credita aliena, possint interdum dimidio valore emi, et aliquoties etiam minori. — 21. Chirographa, et aliena credita possunt etiam licite emi minori pretio ab aliquo particulari, qui ob suam industriam, vel favorem Principis, aut Officialium, vel ipsiusmet debitoris, potest licite exigere sine difficultate, periculo, aut damno, sine quibus non posset illa exigere Creditor, vel alter. — 22. Immo etiam ipsimet Ministri, et Officiales, qui Principum, vel aliorum debitorum pecunias administrant, possunt licite Chirographa, et aliena credita erga suos principales minori pretio emere, sicut alii; dummodo ipsi non sint causa difficultatis, aut periculose solutionis, et fecerint quantum in se erat, ut sine difficultate creditoribus satisfaceret. — 23. Si autem ipsi ex dolo, vel negligentia, aut alia culpa sint causa, quod exactio Creditorum evadat difficilis, periculosa, aut onerosa, nullimode possunt illa credita minori emere. — 24. Neque ex tali malitia possunt ipsi Ministri, seu Officiales suggerere amico, ut emat viliori pretio aliena credita erga Regem, seu Principem, et postea integra solvere emptori, diviso inter ipsos lucro illius emptionis. — 25. Chirographa, et aliena credita, in casu quo possunt ab alio tertio minori emi, similiter possunt minori emi, seu redimi vel extinguere ab ipsomet debitore, dummodo ipse non sit causa minoris aestimationis, et quod solutio praefixo futuro tempore non evadat ex sua malitia, aut negligentia difficilis, et periculosa,

sed aliunde oriatur talis difficultas, aut periculum. — 26. Secus tamen, si ipse debitor sit malitiosus, et culpabilis causa, cur solutio evadat difficilis, periculosa, vel onerosa. — 27. Chirographa, et aliena credita certa, et liquida, pro quibus suo tempore extinguendis nulla penitus occurrit difficultas, vel periculum, neque ullum lucrum cessans, aut damnum emergens, nequeant licite emi minori pretio. — 28. Non licet sine justo titulo ob solam anticipatam solutionem infra pretium infimum emere. — 29. Potest tamen emptor sic minori emere mercem, si adsit justus titulus. — 30. Minori pretio quam valeat ob varias causas potest res emi: Primo quando emptor emit in gratiam venditoris, et ratione ipsius cessat emptori lucrum, vel damnum emergit. — 31. Secundo, ratione multitudinis mercium. — 32. Tertio, ratione multitudinis mercium simul emptarum. — 33. Quarto, ratione paucitatis emptorum. — 34. Quinto, ratione inopiae, seu paucitatis pecuniae. — 35. Sexto, ratione modi vendendi, ut cum venditor rem sponte, et ultronee offert, et enixe rogat ad emendum. — 36. Septimo quando res venduntur sub hasta, seu Foro scrutatorio sine ulla fraude. — 37. Deputatus ad aliquam rem emendam certo, et determinato pretio, si pretium solummodo determinatur, ne excedatur, non potest sibi retinere aliquid, si minoris emit. — 38. Potest tamen sibi retinere, si Dominus ita determinavit pretium, ut nihil aliud desideret quam ipsam rem emendam pro tali pretio, relicto emptori si quid minus expenderit in ipsa re emenda. — 39. Regulariter vero loquendo, quando aliter non constat de voluntate Domini, deputatus ad emendam rem determinato pretio, v. g. pro decem, si ei contingat emere pro octo, non potest licite sibi retinere illa duo. — 40. Deputatus autem ad emendum aliquam rem, si ultra intentum Domini specialem et extraordinariam diligentiam, industriam, et laborem adhibuit pro emendo minori pretio, tunc poterit aliquam partem pretii incommodo, et industriae suae proportionatam sibi retinere. — 41. Sic etiam Sartor deputatus ad emendum pannum, serica, et hujusmodi pro vestimentis conficiendis, potest sibi retinere id, quo minus emit, si mercator, vel venditor in solam sui gratiam partem aliquam justipretii remisit. — 42. Dummodo tamen duo concurrant, quae assignantur. — 43. Emens frumenta tempore messis, quo minus valent, ut servet vendenda ad tempus, quo magis valere solent, si non faciat animo inducendi charitatem, et postea vendat intra limites justipretii, nullimode est culpandus. — 44. Si tamen unus, aut pauci coemunt omnia frumenta et hujusmodi, ut postea illa vendant ad suum libitum eo pretio quo voluerint, injustissime agunt, et monopolium committunt. — 45. Tales monopolae nedum peccant graviter contra charitatem, sed probabiliter etiam contra justitiam cum onere restitutionis. — 46 ad 62. De his, qui emere possunt, vel non. — 63 ad 66. An Emptor propria auctoritate possessionem rei emptae apprehendere possit, si ei permissa sit in emptionis Instrumento.

ARTICULUS III. — Quoad ea, quae concernunt Venditorem.

1. Venditor ob solam dilatatam solutionem sine justo titulo nequit rem plus justo pretio vendere. — 2. Potest tamen venditor plus justo pretio vendere ob dilatatam solutionem, si interveniat aliquis justus titulus, ut lucrum cessans, etc. — 3. Ut liceat venditori supra summum pretium vendere plus ad creditum ratione lucris cessantis, requiruntur variae conditiones, quae enumerantur. — 4. Ratione periculi periculi periculi, vel ex toto, vel ex parte possunt venditores, seu mercatores plus vendere ad creditum. — 5. Item possunt venditores, seu Mercatores plus vendere ad creditum ratione difficultatum, molestiarum, et expensarum, quae probabiliter timentur, seu solent accidere in exigendo postea

pretio. — 6. Absque ullo titulo licitum est vendere plus ad creditum solum intra fines justipretii. — 7. Supra summum justum pretium potest res pluris vendi generaliter loquendo ob varias causas. Primo, ratione damni emergentis. — 8. Secundo, ratione lucris cessantis. — 9. Tertio, ratione pecuniae, seu raritatis mercium. — 10. Quarto, ratione multitudinis emptorum. — 11. Quinto, ratione specialis ad rem affectus venditoris causantis eidem honestam oblationem. — 12. Sexto, ratione periculi faciendi expensas in exigendo postea pretio. — 13. Septimo, ratione periculi periculi periculi, sive ex toto, sive ex parte. — 14. Venditor interrogatus ab emptore de certo vitio rei vendendae tenetur illud ei manifestare. — 15. Si autem venditor non interrogetur de vitio rei, potest licite ipsam vendere cum vitio occulto, dummodo vendat minori pretio proportionato rei vitio, et sit res adhuc utilis emptori juxta proportionem pretii. — 16. Nec tenetur venditor indicare vitium rei manifeste patens. — 17. Tenetur tamen venditor indicare tale vitium manifeste patens, si adverteret emptorem esse tam rudem, et imperitum, ut nequidem vitium manifeste patens agnosceret. — 18. Venditor tenetur manifestare vitium, seu defectum rei in substantia. — 19. Venditor tenetur manifestare vitium circa qualitatem rei, quando causat damnum et reddit mercem inutilem ad finem ementis. — 20. Non tenetur tamen venditor manifestare vitium rei, ita si sit modicum, ut eo non obstante adhuc res sit aequae utilis ad finem ementis. — 21. Venditor tenetur manifestare vitium etiam in quantitate. — 22. Venditor, qui ad alliciendo frequentiores emptores, vendit Merceres pretio infimo, sed occulto non tradit integrum pondus, et mensuram, partem sibi reservando ad compensandum velut sibi debitum pretium, quo ab aliis mercatoribus venduntur, peccat graviter, et tenetur restituere tum emptoribus, tum aliis Mercatoribus. — 23. Possunt tamen Venditores occulte tantum diminueri de pondere, numero, et mensura mercium, quantum requiritur ad complendum justum pretium, in casu, quo vel pretium a Magistratu, seu deputatis sit injuste taxatum vel emptores inique conveniant, quod non nisi certo minus justo pretio vulgari merceres emere velint. — 24. Venditores habentes mercem, v. g. triticum extraordinariae bonitatis, et majoris, quam illud quod communi, vel taxato pretio venditur, possunt licite admiscere aliquid inferioris materiae, quousque reddatur aequale tritico communi pretio ab aliis in foro vendi solito. — 25. Venditor vini valde praestantis, seu generosi potest ipsi admiscere vinum vilius, ut ad commune Fori vinum accedat, et ipsum vendere pretio communi. — 26. Sic etiam si Venditor vini nequit consequi justum ejus pretium, vel ex quo sit injuste taxatum, vel ex quo Emptores ob suam iniquitatem nolint justo pretio emere, potest ipsi infundere modicam aquam ad se reddendum indemnem, dummodo nullum damnum sequatur Emptoribus. — 27. Item si Emptores abhorreant a vino nimis meraceo, vel rigido emendo, ut nisi aqua aliquantulum temperetur, non appareat Emptoribus ejus praestantia, et justus valor, et ideo venditor cogatur minori justo pretio vendere, vel omnino repellatur; tunc potest Venditor aliquantulum aquae ipsi infundere ad reddendum ipsum tenuius, et suavius, et se reddendum indemnem, dummodo Emptoribus nullum omnino sequatur damnum, et venditor tantum minuat de pretio vini, quantum auget de aqua. — 28. Affertur, et solvitur instantia. — 29. Venditor sciens scientia privata pretium mercis brevi minuendum esse, potest licite vendere pretio currenti. — 30. Deputatus ad aliquam rem vendendam certo, et determinato pretio, si pretium solummodo determinatur, ne minoris vendatur, non potest sibi retinere aliquid, si majori pretio vendat. — 31. Potest tamen sibi retinere, si Dominus rei ita determinavit pretium, ut nihil aliud desideret, quam